Israelita ab Israel, vel Judaei a Juda, nec consueverunt dici Sarraceni a Sara, quamquam de ea sint. Secundi Sarraceni sunt Sarraceni praesumti, qui sibi usurpaverunt hoc nomen, seque jactant genitos a Sara et sine re in nomine gloriantur, cum Agar eorum fuerit genetrix et potius ac verius sint et dicantur Ismaelitae, a patre eorum Ismaële, vel Agareni ab Agar, sicut habetur Genes. 17. De hoc habetur Galat. 4. et Psalm 82. loquitur de Agarenis, et Baruch 10. et in multis locis de filiis Agar fit mentio. Quod autem Agareni sint aut Ismaëlitae, patet ex ritu circumcisionis, non enim circumcidunt secundum legem Moysi die VIII. sed anno XIV., ut Ismael pater eorum, ut habetur Genes. 17. Sed nec praeceptor eorum Machometus circumcisus legitur fuisse, ut dicitur de Cribrat. Alcorani cap. 18. lib. 3. Qui tandem in superbiam elati, eo quod essent filii Abraham, verecundabantur se denominari ab ancilla legitimae uxoris, ancilla Abrahae, videruntque, quod nulla gens a legitima sortita est nomen, hoc nomen sibi Sarraceni acceperunt abjecto nomine suae naturalis matris. Et ita illi Agareni dicuntur et multo tempore dicti sunt Sarraceni praesumti.

Tertii Sarraceni additi sunt Mamaluci, qui fuerunt Christiani et abjecto nomine Christi cum fide ad errores Sarracenorum sunt conversi eisque additi. Sic et aliae gentes eis adhaerentes relictis propriis ritibus dicuntur Sarraceni additi. Hi Sarraceni cum secundis in tantum multiplicati sunt, quod repleverint Asiam totam quasi Minorem et magnam partem Europae et dicuntur Sarraceni Turcomanni, quos nos Turcos dicimus, sub imperatore Turcorum degentes et partes fidelium sine cessatione invadentes. Asiam etiam majorem nobis notam undique occupaverunt, Cappadociam, Syriam, Palaestinam, terram sanctam, Mesopotamiam, Chaldaeam, Assyriam, Persidem, Mediam, Arabiam et Aegyptum, maximas regiones Orientis. Et illi dicuntur Sarraceni Soldanini, quia subsunt imperio Soldani regis Aegypti. Sed et Africam totam possederunt jam multis temporibus. Et illi Affri dicuntur Sarraceni Marrochiani, Austrum occupantes. Sic ergo maledicta gens illa per Machometi industriam possidet Aquilonem, Austrum et Orientem, quae omnia de manibus Christianorum avulsit et in suam ditionem redegit, mansitque duntaxat angulus Occidentis tantum fidelibus.

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;